

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. IX. Passer et Lepus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

tur, ut collum immitteret in lupi gulam, suoque periculo doloris extraheret caussam. Pro eo beneficio cum stipulatam postularet mercedem: animal ingratum es, inquit lupus, quod caput meis faucibus commissum potuisti seruare saluum, et aliud praemium requirere non vereris.

FAB. IX.

Passer et Lepus.

Sibi non eauere, et aliis consilium dare,
Stultum esse, paucis oftendamus versibus.

Oppressum ab aquila fletus edentem graues,
Leporem obiurgabat Passer: vbi pernitas
Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes? 5
Dum loquitur, ipsum accipiter nec opinum ra-
Questuque vano clamitatem interficit. (pit,
Lepus semianimus mortis in solatio:
Qui modo securus nostra irridebas mala,
Simili querela fata deploras tua. 10

Tibi consule.

Paucis demonstrabo versibus, stultum esse,
qui sibimet ipsi non consulere, et aliis consili-
um dare velit. Passer obiurgat leporem, quod
ab aquila oppressus fortunam suam largis de-
ploraret lacrimis. Vbi iam, inquit subridens, tua
vbique laudata velocitas? Siccine pedes tui
cessare potuerunt? Dum loquitur, accipiter
passerem imprudentem arripit, et frustra cla-
mitantem laniat. Quod cum lepus videret se-
mianimus: mortis quoddam a socio capit sola-
tium, ac miserum te! inquit, qui rerum tuarum
ad eo

adeo securus mea mala ludere modo poteras,
iam simili fato tuam ipse calamitatem deploras.

FAB. X.

Lupus et Vulpes, iudicet Simio.

Quicunque turpi fraude semel innotuit,
Etiam si verum dicit, amittit fidem.
Hoc attestatur breuis Aesopi fabula.

Lupus arguebat Vulpem furti criminis:
Negabat illa, se esse culpae proximam.
Tunc iudex inter illos seddit simius.
Vterque caussam cum perorassent suam:
Dixisse fertur Simius sententiam:
Tu non videris perdidisse, quod petis;
Te credo surripuisse, quod pulchre negas. 10

Ex consuetudine fama.

Si quis fraudibus atque mendaciis gaudere creditur: fidem ille etiam amittit, si quando verum dicit. Hoc breuis demonstrat Aesopi fabula. Lupus furti accusabat vulpem. Haec contra negabat, furtum a se commissum, aut ullo modo fieri posse tanti criminis reum. Iudicem ergo constituunt simium, suamque coram illo scite perorat vterque caussam. Quo facto, simius hanc dixit sententiam. Te, lupe, nunquam credo, perdidisse, quod petis: et tu, vulpecula, omnino mihi videris surripuisse, quod multis verbis ambitiose negas.

FAB. XI.

Afinus et Leo venantes.

Virtutis expers, verbis iactans gloriam,
Ignotos fallit, notis est derisui.

Vet.